...islaus
Episcopus ...nsis.

Kanon Andreae Rosa inter spinas divi Benedicti efflorescens.

ROSA
INTER SPINAS
DIVI BENEDICTI
EFFLORESCENS,

DVM

Illustriss: & Reuerendiss: Dñus

D. STANISLAVS
PSTROKONSKI

Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ

EPISCOPVS CHEŁMENSIS,

ADMINISTRATOR ABBATIÆ TYNECENSIS, &c.

A primo suæ Abbatiæ aditu

GOSTOMIANVM SOC: IESV COLLEGIVM

redux inuiseret,

OFFICIOSE DECERPTA

Jnterq; Natalitiæ gratulationis mißilia

EIDEM SVO REVERENDISSIMO

TRANSMISSA

Ab ANDREA KANON Societatis IESV,

Anno à florido partu Virginis

M. D. C. XL. VIII.

W.

CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Francisci Cæsarij, S.R.M. Typ. A.D. 1648.

Surrexerat antè floribus immixta teneris SINE SPINIS ROSA, *& pulcherrimus flos sine ullâ fraude vernabat. Postea spina sepsit gratiam flori tanquam speculum præferens vitæ.* S. Ambrosius Hexam. L. 3. c. 11.



ALBA ROSA IN CAMPO RVBEO.

Cur ROSA PSTROKONII purâ niue purior albet?
Concolor est domini moribus iste nitor.
Sed rubet hostili campus de clade! ROSETA
PSTROKONIDVM, Marti, constet vt, esse sacra.

ILLVSTRISS: & REVERENDISS: DÑO

D. STANISLAO PSTROKONSKI

EPISCOPO CHEŁMENSI,

Administratori Abbatiæ Tynecensis, &c.

Author Felicitatem.

DE Rosis coram Rosino perparcè locutus floridum Tuo nomini argumentum inscripsi, Illustriss: Antistes. Quid enim ampliùs reponerem Pontificiæ Saluti Tuæ, quam mihi nuper exeunte anno impertitus misisti? non sterilem, quia excepta animo non tam in verba, quàm in benè precantis omina germinauit. Inter Missilia Xeniorum an mitti potuit Celsitudini Tuæ quidquam cariùs ROSA AVREA? *pleniùs* PLENA? *puriùs* CANDIDA? *securiùs* INERMI? *ornatiùs* CORONATA? *Nisi quòd ad Ianuarij Kalendas eam tinxerim* IESV *purpurâ, quò, salutarem alioqui, præterea medicarer* VERBI *vulnere. Propè inter Natales Dei cunas enascitur flos florum, vt cum feni stipula in manum sese Diuinam ingereret. At sunt, qui in Tua* ROSA *primùm illud mirentur, quod cùm natiuis careat acuminibus, tamen acuat oratorum calamos; nec propterea immissâ falce grassatus sum in Rosario, quòd solutum spinis tutò carpi potuerit. Leguntur summâ manu non metuntur hæ* ROSÆ, *quarum folijs induxi vel Tua vel Tuorum fa-*

cta. Liberaliùs, fateor, præ alijs MATHIÆ PSTROKONIO *inhæsi, in quo feliciorem Tuæ indolis imaginem cernebam. Sacras ciuilibus Rosis permiscui, ne sic quidem amissuras pretij & dignitatis ordinem. Opus haud erat secernentis delectu, vbi omnia vtrinq; discolori elegantiâ ad ornatum Patriæ concurrerent. O te, Polonia, hospitalem ex eo potissimùm: quòd in* PORAVIANÆ ROSÆ *corona sedem feceris: rata futurum è re imperij, si Regalia Heroûm insignia tuo in regno florerent. Agnouisti expositum in media calamitate Cyrum. Et verò non agnosceres, alti sanguinis propaginem è flore, candorem ex vultu, veterem Regum fortunam ex insignibus? Nullum illo maius à Bohemis pignus accepimus fouere nescientibus Rosam, foris profecturam meliùs quàm domi. Vtinam & ego istud Gratiarum opus non exasperem tractatione subhorridâ. Sentiuntur faciliùs Rosæ, quàm laudantur pro merito. Tuæ verò, Præsul Illustrißime, vernant pulchriùs in memoria Reip: quàm in Poëtarum ingenijs. Scilicet multùm hîc Musis & Apollini liceret? in quas vix Marti & Bellonæ aliquid licuit impunè. Ita porrò earum candorem tractauimus, ne extorto pudore læderemus verecundiam. Nesciunt mansuetiores literæ quenquam pungere, quod ipsum inermi & candidâ* BVZENIORVM *didicère à* ROSA. *Si quid tamen è florum Principe, styli audaciâ detritum est, consultâ* Pier. L. 55. *Indorum Sapientiâ Rosas obijciam* ROSÆ *Dominum placaturus.*

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ

ære obstrictus

Andreas Kanon
Soc: IESV

PANEGYRICVS.

ROsas humano ſanguine propagatas, non omninò iam fuerit fabuloſum, Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Antiſtes, cùm BVZENIAM PSTROKONII ROSAM cernimus, vel natam Diuorum ſanguine, vel renatam. Etſi enim natali in ſolo vt candidiùs eniteret, trium concurſu fluminum luſtrata ſit; multò tamen generoſiùs effloruit imbuta ſanguine ADALBERTI. Nimirùm venuſtatis & gratiarum Compendium tam cari Capitis impendio conſtare oportebat. Nemo idcircò iuſtiùs Roſas loquitur, quàm qui Tuas; nemo tractat ſecuriùs quàm Tuas. Nam nec taceri æquum eſt vocaliſſimo cruore educatas; neque timeri, conſumptis in coronam aculeis iam inermes. Quodſi ingrata de Roſis Oratio vix accidit; ſi ſuam nullis in manibus amittunt fragrantiam, quid adhuc dubitarem hoc candore pertrahi, odore ſuſtentari, arcanâ impelli poteſtate? Adeò non in oculos tantùm, ſed in animos quoque blandum exercet imperium Tua Roſa! vt orbi palam fiat, eam aliquando in Henrico Romanorum Imperatore imperaſſe, regnauiſſe in Otthone Magno, tenuiſſe in Vrſino principe principatum. Eſt videlicet aliquid ortum ducere ab Optimis Maximiſque. Niſi quòd

peculiare ſit ROSINORVM ROSÆ, maieſtati amænitatem, candorem purpuræ præhabere. Natiua hæc elegantia, nullum in ſe adſcititijs coloribus locum fecit. fucum & ceruſſam non admiſit, ne non ſuis & ſuorum laboribus coronata regnum pulchritudinis affectaret. Quid autem extraneæ opis egeret lenocinio? nata ornare cæteros non ornari. Miſera florum conditio eſt, vbi, quod in æſtimationem veniat, præter lata folia & colorem, vix reperias. Ita quidlibet ab animo referunt ad illecebram oculorum. quaſi idcircò magnificæ viriditatis aſpectabilem pompam inſtruant, vt extemporali oſtentatione ambitioſiùs cum tempore defloreſcant excuſsâ foliorum luxurie inutiles & ingrati. Nihil in Tuum, Illuſtriſſime Domine, florem licuit fatorum licentiæ. Tam enim plenè exegit annos, vt annales impleuerit: tam integrè, vt nihil de illius integritate ſæcula delibauerint. Delibarent autem? ac ſi inſtar ſacrilegij non foret Roſam carpere conſecratam in Martyribus, inauguratam in Gaudentio, in Heròibus immortalem, in Regibus adoratam. Fecerint Romani celeberrima Roſarum genera: Tibi nec placere poterat Campana, quia præcox; nec Mileſia, quippè ſera; neq; Græcula, quia naſcenti ſemper ſimilis, niſi manu coacta non dehiſcit: Tuæ ſimilior eſt, quæ nouiſſimè deſinit Preneſtina. Nam Alabanica, Trachinia, vel ſi quæ minorum gentium roſæ emicant, in PSTROKONIANÆ comparationem ſe non addent; quòd cùm naturæ curſui præcurrant inſolenter, ocyſſimè ſed non optimè adoleſcunt. Cucurbitarum ea eſt ambitio, leuiſſimè inflari vt celerrimè detumeſcant. At Roſis Buzenij paulatim rubeſcentibus, & ſuâ ipſarum

indole

indole coronatis quanta laudum parſimonia, quantum gloriæ temperamentum contigit! Non illæ præuertunt tempora, ne iniuriâ temporum euertantur. Præcellunt ortu Lilijs, quia & conditionis eminentiâ; quatenus non ſola corporis proceritas aut indeflexa maturitas, pratorum principes oſtendat. Rectè, dum vernare incipiunt Lilia, hæ autumnant; vt quàm priùs naſcendo lucem hauriunt, eandem citiùs humano generi indulgeant, vtilitate iuxta & dignitate ſuperiores Lilieto. Debemus hanc PORAVIO gratiam, quòd germinaturas quia germanas ADALBERTO Roſas Poloniæ intulerit, illatas plantauerit, plantatas deniq; vtiliùs dentatâ Cadmi ſegete propagârit. Hinc diffuſi per tot ſtirpes rami: hinc noui ſurgenteſq; fætus; hinc aſſertæ conſertæque familiæ, hinc adoptiui latè ſurculi, in Roſeas famæ & generis prouenêre colonias. Natæ ſtirpes è ſtirpibus, honoribus aucti honores, interq; illuſtria Natalium confinia educata felicitas felicitati reſpondit, faſces faſcibus occurrêre. Iam patritias, iam equeſtres, iam Senatorias, paci & bello vtiles roſas cernimus, in togâ candidas, in ſago rubentes, in ſolio non tumidas, nec in purpurâ delicatas. O præclarum, quia ſine alienâ diminutione incrementum! nec propterea tamen arrogans, aut nouum. Magno etenim Sanguini magna propagatio debebatur. Fas non erat ADALBERTI ſanguinem fuiſſe infecundum. At quàm mirifico partitionis ordine, partim in patriæ vmbracula, partim in propugnacula multifariam diſtributæ & ſepiunt rem Poloniæ, & tuentur! quarum illæ armis, iſtæ aris impoſitæ, galeas & infulas impleuêre, vt rarò coniunctionis fœdere, mites inter & ſeueras animas

 mediæ,

mediæ, hinc Palladi operam probarent, hinc Bellonæ: quæ dissita studijs numina, solâ boni publici prouidentiâ coniungi solent. Vidimus olim vidimus, è pacatis Musarum classibus, ad classica digressas Rosembergij & Rosini Rosas. Pulchra sanè lenitatis cum seueritate congressio, de immortalitatis priuilegio. Hæc ita differenti mihi quàm aptè hîc te insinuas fidelem in memoriam, ROSEORVM vernantissime PORAVI, si tamen insinuatione opus habeas, apud animos tot sæculis occupatos, apud aures ad tua decora attentissimas. Tu, qui iure bellico, famæ patrocinium vbique susceperis, vbique viceris, nusquam (ô quæ ista moderatio!) triumphaueris; patiare hæc saltem tuis in oculis poni, quæ tu idem in totiûs Poloniæ posuisti; eo fidei candore, qui Rosam deceret gentilitiam, eâ integritate, quæ Diuûm sanguini conueniret. Perfecisti enimuerò primus, ne immoderatiùs miraremur, Rosas vernare inter arma, durare inter niues, proficere vstione, cùm Tu sanguineâ Tuorum è clade Tuam Cæsari sic probasti fortitudinem, vt in te Ducis prudentiam, robur militis, aulici ingenium semper suspiceret. Sufficiat splendidè fortibus prospexisse castra, breuemq; militiam quasi transisse; PORAVIO ad numerosam gloriam pauca stipendia quî sufficerent? in tantum bellicis innutrito alimentis, vt præ illis omnem aliam voluptatem fastidiuerit ita Martis palato obsecutus, vt frugalitatem poneret in delicijs, famem inter opsonia numeraret. ratus imbellium esse, lautitias curare sub loricâ, merum galeis propinare, belli orbitam orbe saltatorio confundere, risu iras, Pæanem symphoniacis, cantu classica emollire. Vocem Iulij Cæsaris accepimus: Milites suos etiam

Plin. [margin, beside "tiùs miraremur"]
Suetô. [margin, beside "lire."]

etiam vnguentatos pugnare benè poſſe. Nimis hoc ille tumidè, & ex victoriæ genio inſolenter: dignus qui minacibus oculis, indignante vultu, auersâ aure à PORAVIO audiatur; nihil vſquam agente, nil probante, quod à ſeueris belli vſibus & diſciplinæ veteris præſcripto diſcederet. Malebat abſens abſenti patriæ ſalutem è caſtris mittere, quàm feſtinatò emeritus manumitti! Ergo his moribus, hac eminenti firmitate, hâc in periculis præſentiâ, poſteros in ſui commendationem non exciret? hoc inſuper nomine fortunatus, quòd ſibi ad numerandas pro Republicâ cicatrices cum Otthone Boleslaus idem laudator contigerit, idem teſtis. Ecquid autem egiſſe tunc exiſtimem Bohemorum inclementiam? quùm cæſis quinq; fratribus ADALBERTI, ferro & igni in reliquias PORAVIANÆ familiæ graſſaretur; quàm vt ipſis è cineribus roſas proliceret à ferro & reciſione pleniores. Age, ſi quando ſemel fiducia noſtra gentis Roſeæ irrupit Viridarium, paucas hinc delibemus roſas; parùm anxij, quæ, aut quemadmodum ſeſe ingerant, quoué ordine decerpantur. Par eſt honoris omnibus, & vna ſanguinis amplitudo. Occurrerint primi Buzenij qui & Pſtrokonij; inde Kurozwęcij, Micháłowſcij, Izbienij, Gruſzcinij; excurram illicò, manum officijs, ceruicem obſequijs, genua ad venerationem poſiturus. Occurrerit memoriæ & oculis Kurozwęciæ plantationis ANDREAS ROSA? legam protinùs Virili inſcriptam nomine, vel è Græcorum teſtimonio nomenclator. Colligam victricem in VINCENTIO KADŁVBKONE Roſam, eò altiore micantem faſtigio, quò in ſe profundiùs deſcendentem. O ſolers Roſæ ingenium! nam quò ſecuriùs Plin.

C curiùs

curiùs ad maturitatem accederet, intra ſepta Ciſtercienſis hortuli ſe recepit. Cracouiam commutauit Andreouiâ, maieſtatem egeſtate, frequentiam ſolitudine. Neque ſic tamen ſolus; quia literulas admiſit in cubiculum, quæ è naufragio enatârint; ſequuntur exulem, in mediâ captiuitate non captiuæ. Rectè Centifoliam Vincentij roſam dixerit, quiſquis prima illius hiſtoriæ folia ſaltem attigit. In ſummo hîc poſitam datur tangere veritatem, vltro etiam non quærentibus occurrentem. Suſpiciam in ſublime elatas Regni principes & Primates Roſas, primo in ſubſellio Caſtellanas, in Regni ærario Aureas, in exercitu Generales, in caſtris & arcibus Capitaneas, in territorijs & tentorijs conſcriptas, in acie militares, glorioſas vbique. Macte hoc ſanguine, hac & victoriâ, quam nomine præſtitiſti NICOLAE PORAVI, qui cùm vetuſto Regum Halicienſium præſidio feliciter præſideres, probaturus cælo campeſtrem Roſæ indolem, à mænibus in Campum Daciæ proceſſiſti. Verè victorem populorum Nicolai ſpiritum, quòd Martiali morte immortalitatem redemerit, nec in opinione hoſtium moriturus, nec in faſtis. Cecidit vnà tecum Petrus Odrowązius; ſeu quòd virtus Heroum incomitata eſſe non ſoleret, ſeu quòd à tantæ fortitudinis propinquitate abſtrahi morte ipsâ acerbiùs duceret. Quantus es, NICOLAE MICHALOWSCI Vir ab vtraq; fortunâ illuſtriſſime! Luculentius magnitudini Tuæ teſtimonium præ illo ne exſpectes, quod à Marte primùm, ex acie optimum quemq; pignerante, deinde à VLADISLAO IAGELLONE, non ſine ſuffragijs Ordinum retuliſti: qui te, alterum videlicet bello Mithridatico Pompeium, incredibili conſen-

consensione electum voluêre, vt Theutonicæ expeditioni præesses imperator; cùm antehac primi roboris ætatem ROSEAM bellis Moschouiticis, Tartaricis, Bulgaricis attriuisses, vt omni sæculo agnoscere potuerint suam Romani prærogatiuam, in Romano vtiq; ROSINO, eiusq; Minoribus agere natis fortia & ardua quæq; pati. Non ego te PSTROKONIANÆ Principem familiæ à tui communione sanguinis abstraxerim, IOANNES PSTROKONI. Vnum quippè est idemque virtutis officium. Est quod continuæ Tuorum faustitati, est quod prosapiæ gratulêre, cui veterem fortunam cum priscæ Nobilitatis insignibus transmisisti: Nouum à loci genio sortitus cognomentum, vt in auitæ hereditatis diuisione fieres non tam paterni nominis, quàm virtutum heres. Accedere hoc solum ad auream ROSÆ sortem potuit, vt decoro belli puluere adspersã, non iam triplici fluminum interuentu, sed cruoris tinctam purpurâ, nepotibus traderes, vel gloriæ irritamentum, vel amoris. Crediderim ingemuisse tuo casu (quo Casimiri fortunam fulcijsti) Matthiam Regem Pannoniæ, positâque hostilitate inuidisse veriùs Tuæ fortitudini, quàm eidem ignouisse; certum (nî fallor) gentis Pstrokoniæ Rosam Auream, Hungariæ, hoc est POMO AVREO, benè per omnia fuisse responsuram, si hoc ei per inuidiam fatorum licuisset. Nec Patriæ saltem sua Cælestibus ingerenti vota concessum est pro te diutiùs timuisse, vt eò te dolentiùs lugeret amissum, quò acriùs missum in prælia meminisset: Quanquam etiamnum tuus, bellatorum cordatissime, in Pstrokonijs calet sanguis, olim cruentâ Vratislauiæ ex arenâ deriuatus, an expressus? Actum igitur tecum

cum præclarè, cum patriâ perbeatè, ne totus in fatorum arbitria & poteſtatem abires. Nam æternam tuæ mentis formam, & capacem tot operum indolem in liberis, iure ſucceſſionis, reliquiſti; his retinentibus ex diuturno collectam operosè famæ & generis amplitudinem; illis nouo niſu gloriam vrgentibus, per itinera tibi & tui ſimillimis vſitata. Quotuſquiſque illorum, non iuris patritij cognitione ſeſe contra vices rerum, ne euerteretur, muniuit? non pulcherrimis belli paciſq; muneribus domi ac militiæ perfunctus eſt? planè vt nemo illorum exſtiterit, qui non ex honoribus genitus ad honores, medijs immortuus honoribus è ſcenâ diſceſſerit honoratus. Computet iam Porauius latè Roſas in tot familiarum & decorũ Roſaria effloreſcentes. Coronet agmen Roſeum, propaginis Roſeæ ter præſtans, ter & felix Roſa ALBERTVS MęCZYNSKI, nec ſanguinis colore, nec ſpecie virtutis ADALBERTO diſcolor: qui ſuperſtite animo etſi conſtiterit in portu, adhuc iactati in mare cineres naufragantur. Accepimus illuſtre ad ſpectaculum, domeſticum ad imitationem, Polonum ad gloriam exemplum accepimus. Exceſſit vir acerrimus cæli ipſius quantitatem, ſpiritu non Dei minùs capace, quàm dolorum. Pullus Aquilæ, vel Iaponici ſolis iudicio, generoſus, in fortunæ primùm ſuæ titulos inuolauit, ne ante de barbariâ quàm de conſanguineis triumpharet. Quorſum enim trans æquora hoſtem foris quæreret, inteſtino domi Annibale necdum fuſo? Heu! crudele obſequium Iaponiæ, rigando præfocantis Roſam! Sed eò gratiùs rubeſcentem, quò eam largiùs cruentâ alluuione imbuit ſuus cruor. Verùm quid me attinet de Roſis regnatrice in domo

conſitis,

consitis, perque tot plantaria dissitis, disserere? quid innumeras numerare? aut explicata Rosæ folia euoluere, quorum *sine nomine nullum, Decidit in terras*, quia vel suo inscriptum sanguine, vel hostili. Nihil in patritijs PORAVII Rosis non insigne & basilicum, nihil in folijs non regale, nihil in stirpe non Romanum inuenies, nihil in vsu non salubre. A toto medicorum Circo plauditur, vbi de terrarum succo principe litigatur. Frustra Hippocrates & Galenus consulitur, dum acerrimo sensuum iudicio res tenetur. An vllum hinc defluxit folium, quod in salutem Reipublicæ non influxerit? Proprijs id imputaret dispendijs quod bono publico non impenderet. Olim iam assueta in lucro censere gratias, beneficentiam ponere in prouentu. Hoc enimuerò est, alienæ prouidendo felicitati, suam augere. Ego ita sentio: antè illam sese regalibus Rosæ titulis abdicaturam, quàm benè merendi consuetudine in naturam propè, vsu assiduo, transeunte. Veritatis illa vox fuit, non Sallustij: regna & prouincias, eò vsq; prosperum tenuisse cursum, dum apud eas consilia valuerunt. Velut si planiùs monuisset: consilij sanitate salutem Reipublicæ contineri. Quem in locum posteaquam serâ laudatione deductus sum, ita menti & stylo moderabor, Illustrissime Domine, vt tamen in defensione meæ fidei sæpè mihi sint & promerita immortalis Patrui Tui, & auctoritas appellanda. Non enim ita ex mortalium Collegio abijt, vt è pectoribus quoque Polonorum exierit. Vbi de eius agitur laudibus, Themistocli non subscribimus, artem obliuionis eligenti. Malè huic litatur silentium, cui tam ore promptum erat, quàm calamo expeditum efficere, vt exte- Stat.

rarum quoque gentium ſenſa de ſublimi Polonorum ſpiritu planè ſublimia forent. Præterea parum commodè taciturnitate eum venerer, qui maturâ anticipatione, omnium ætatum linguas, ne taceretur, occupauit; cùm antea hominum animos ad ſui venerationem inclinâſſet. Ipſa me profectò Curia accerſitum de incuriâ coargueret, ſi in tam accuratum iuris ac legum vindicem iniurius voci publicæ priuatam negarem: quando veritati id negaretur, quod Roſæ, auctoritate & ſenio Senatoriæ, non concederem. Non ille ab vniuerſis Ordinibus exigat ſuæ præconia excellentiæ? qui, quò nemini deeſſet, ingenitam ſibi Suadam, communem omnibus fecerat. Vertat aliò ſtylum vates: *Stemmata quid proſint* hîc ne quærat. Non eſt profectò otioſa floridi generis nobilitas quæſita multo ſanguine, reperta multo. Patent oculis, patent animis Roſæ commoda, à quibus nec delubra Cælestium, nec ſalutis officinas excipimus. Arborem diceres Indicam tam multiplici rerum copiâ affluentem, vt vna ex ſeſe innumeris apta vſibus nauim inſtruat. Det illa truncum in latera, ramos commodet in remos, comam in vela, in rudentes, in malum aſſamenta, clauos præbeat, fundat oleum, ignibus & hominibus miniſtret alimenta. De patritio inſigni gentis ROSEÆ quid primum enuntiem, quid poſtremum? in quo par emolumenti cum ornamento dignitas, ex æquo primas ambit, in ſecundis aut tertijs non conſiſtit. Vna demum BVZENII ROSA eſt, quæ vnicè candida, non vnam occulit energiam! quum ornat Cælites, funditur in ſuccos, liqueſcit in remedia, flectitur in vmbracula, excreſcit in Trophæa, aſſurgit in coloſſos. O afflatum benigno ſidere cæli

re cæli rorem! ô principem plantarum Roſam nec ſterilem hactenus, nec effætam! Quoties te, MATHIA PSTROKONSKI, magnum Regni Cancellarium ſaluberrima quæq; ſuadentem (quando autem nõ ſuaſiſti?) Patrum Senatus audiuit; toties, iam non inani prouerbio ROSAS LOCVTVM intellexit. Quod ſi conſilium in tempore, Pomi aurei in lance aureâ, venit nomine; quantò id aptiùs & æquiùs, è cõmuni ſenſu omnium, tuæ imputauero, Vir Conſultiſſime, ROSÆ AVREÆ, quam tuis vigilijs & ſudoribus eliquatam ægrè ſpiranti Patriæ porrexiſti, citra acerbitatem Veritatis. Cùm Tuæ congruum pietati exiſtimares, cõmunem omnium parentem communibus initiatam ærumnis confirmare, labantem tenere, motu ciuili conterritam animare, interq; defectionis intimæ deliquia languentem domeſticis fulcire floribus, ſtipare, coronare; non aliundè quæſitis malo remedijs, quàm à Roſâ. Maluit ea Buzenio deberi Viridario, quàm Elyſijs exterorum. Ex illo certè laborantis Reipublicæ ſtare neſciente ſtatu, Pſtrokoniæ plantationis vim percepimus: benè precati Roſinis & Roſembergijs, de tam nobilis ROSARII incremento ad ſpectaculum ampliſſimo, ad vſum perſalubri. Probè norũnt Maiores tui quid dicam, immò quid velim, quorum Ciuilis eloquentia in Circulis & Congreſſibus Comitiorum educata, mox in ſolem & publicum educta Sarmaticæ amplitudinis & gloriæ Maieſtatem gloriosè ſuſtinuit. Et ſuſtinuit quidem tantâ loci, tantâ perſonarum prouidentiâ, rerumq; dignitate, vt in ſummâ iudicij grauitate, celeritatem extemporalis ingenij mirareris. Lugebatur adhuc ſuo Coronatus nomine ſuiſq; virtutibus Po-

loniæ Mars Stephanus Batthoræus; cùm atratam à morte Principis patriam grauior nebula inuoluit. Fuêre enim è primâ nobilitate, qui ægrum Reipublicæ corpus euntibus in contrária votis diſcerperent. Sciſſa Procerum ſtudia, potentiâ & opibus in contentionem adductis decertabant, vter duorum videretur dignior, qui liberis imperaret? vt iam tunc liquere potuerit, quæſitum ad regna SIGISMVNDVM III. non ſorte caſuq; ſceptris admotum, ſed (obſtantibus nequicquam factionibus) diuinitùs electum. Per tot ei votorum diſcrimina in Latium Honoris, per tot Capitum vota in Capitolium Sarmaticæ Libertatis euadendum erat. Cuius id eſſet animi, armatis intercedere & iratis? tumultuantibus immiſceri, iamque ſtrictos propemodùm gladios vaginæ reddere? Cuius porrò auctoritatis foret, potentiorum Conuentûs conuenire? ſtudia partium ſopire, conſilia diſturbare, iuſſis occurrere, machinationes præuertere vel euertere? Prudentiæ? aditum in animos quærere, ſcenæ & tempori ſolerter aptari? Felicitatis deniqúe? armatos exarmare, modò rebellantes ad deditionem cogere, aliò ſpectantes aliò rapere, perſonam penè aliam induere! O humanâ maiorem virtutis confidentiam! ô mentem Numæ ſupparem; quid? ſupparem dixi? ſuperiorem dicere volui. Perſuadendum erat hominibus, res tot tantaſq; exitu diſpares, opinione maiores, humani dexteritate ingenij confici profligariqúe potuiſſe. Iuiſti contra, vnus omnium gerens regenſqúe animos, quò haud ſcio an Orator Pyrrhi Cyneas iret, aut ille tot palmarum legatus Neſtor. Solenne videlicet eſt magnis mentibus obſtinatiùs in ardua quæq; rapi. Euertiſſent hæc alium

tempora

tempora virtuti inimica; te acriùs firmârunt, eò quòd ſcires, non eſſe firmam arborem, in quam procella non ſæuiat. Diſputent iam Eloquentiæ Magiſtri num hoc ſit demum in animam audientium (quin & proteruè obnitentium) induere ſeſe, vt eos naturâ ſuâ exuas, vocatam in Conſilia iram frangas, hoſtilia ſpirantes tuæ præſentiæ reuerentiâ componas! Fulmen hâc Roſâ citiùs, quàm lauri obiectu auertiſſet Tiberius Cæſar. Quantùm eſt, nudis enſibus impunè occurriſſe? hos ad Opis, illos ad ædem Concordiæ Oratione prouocaſſe? Hoc inſuper admirabili peritiâ agendiq; felicitate conſecutus es, vt cum gratiæ causâ nihil faceres, omnia tamen pergrata fuiſſent, quæ feciſſes. Nonné hâc meritorum conſcientiâ erectus Traianum æquares? non firmâ corporis proceritate, inquam, aut feſtinantis inſignibus ſenectutis, ſed illâ morum maieſtate, illo Optimi cognomento, quod cæteri ab arrogantiâ, tu à moribus accepiſti. Et non ires Tu obuiam Regum Optimo SIGISMVNDO? Tu electæ maieſtati non occurreres, Tu inquam, qui ſpontè didiciſti quidlibet ex dignitate Ciuili & Senatoriâ metiri atque conficere? Ad maiora gradum non faceres? qui ex magnis genitus, ad maxima quæque à puero, deſtinatus credebâris? Ad intima Principum conſilia arcanorum particeps non accederes? quo nemo ſanctiùs fidem obligauit ſuam, nemo obligatam exſoluit religioſiùs, nemo pleniùs liberauit. An tecum Romanæ Legationis momenta non partiretur BERNARDVS MACIEIOVIVS, cui feracem conſilij Tacitum ſpirare videbaris? Quidni breùi impleres infulas, qui omnes virtutum numeros iam dudum impleuiſſes? Non te Sapientiæ Conſultum

inferres in Senatum? ad quem integrè omnia Referē-darius retulisses? audiresque iam pater patriæ, antequam Patrum Concilijs immigrasses. Cur deniq; te intra modestiæ tuæ latebras teneres? pro quo diu multùmq; acerrimis Antistitum studijs certatum est, ad quam potissimùm cathedram magnus arbiter euaderes? Quàm longa illis de tuis virtutibus pugna fuit? donec princeps Karnkouij authoritas vinceret, Te ad deditionem inclinato. Crediderim adiectum tuo tibi à populari Adalberto calculum, ne extra Gnesnam honoris auspicia ordireris, vbi & ipse partem aliquam deposuisset fortunæ, & laboris à te iure posteritatis colligendi. Ergo Tu in Curiam quidem socialem Canonicæ amplitudinis, sed eo vultu, sed eâ veneratione concessisti, vt si præsentem ADALBERTVM cerneres, hortantem exaudires. Regustabas iucundā, quia Roseam, Diui memoriam, peculiare id gentilitiâ habentis cum Rosâ, vt à vitali trunco recisa tamen viuat. Gestiebas nosse, quæ tecta sacer ille & diuinus incoluerit habitator? quæ delubra intrauerit, quam in delubris aram grandioribus hostijs ARCHI-PRÆSVL honorauerit? quod Conclaue languores illius viderit? lacrymas hauserit? quæ deniq; somnum saxa exceperint? hæc tunc tibi cupido tui vtiq; sanguinis vestigia monstrabantur. Quàm deinde læta tibi gestorum illius recordatio? cùm tu eum manantibus primùm oculis, ita vt nepotem decuit, mox thure & solennioribus animi victimis decorasti; vbi simul cognatis in Cineribus, & plenis victore spiritu exuuijs, non ex integro absentem animam, haud superstitiosè quæsijsti, Tuam hîc etiam (vt eras dignitatum parcissimus æstimator) positurus, nisi te am-

plioribus

plioribus initiandum curis, Præmislia à Diui Tui Mausolæo abstractum ad fasces Pontificios euocasset. Nec aspernari poteras Principis de te iudicia, nec suffragijs Procerum obniti. Famæ alioqui publicæ succensere, tuisq; subirasci virtutibus necesse esset, quod in Tuam quî caderet mansuetudinem? At nec alia conscientiæ tuæ (cui semper obsecutus es) vox fuit, quàm vt integrum tibi non esset, priuatam tenere virtutem, æquè patientem magnæ lucis & capacem. O expeditum per merita ad honores iter! à quibus ambiri longè gloriosius putauisti, quàm ambire, quia *nil nimio cupijsse voto*, magnis edictum mentibus à Lyrico didicisti. Ecce autem quod nuper amplissimis Præsulibus tui gratiâ imperasti certamen, idem feliciter non arroganter, ex voto omnium redordiris; vt non præsides duntaxat locorum, lucrandi tui studio accenderes: verùm alias ex alijs cathedras in tui quà admirationem quà amorem pelliceres. Simul enim ac te vidit, inuidit Premisliæ Vladislauia, gratulata ouilibus ouibusque Pastorem, cui suorum fortunas & salutem suâ cariorem esse intelligeret. Igitur cùm Pontificiæ fidei testis annulus, regni annulo auctus, & dignitas dignitate satis dotata videri iam poterat; ciuili turbine subsidente, pacatis Ordinibus, partium securitate constitutâ, cùm necesse non haberes, Te ingenti honoris prouinciâ spoliasti. Eâdem quâ acceperas fide, maioribus comitijs in sinu, in oculis Reipublicæ deposuisti sigillum, quo feliciùs magnum pace & bello PSTROKONIVM, quàm Rosam PSTROKONII exprimebas. Patuitq; tunc, Mathiam Cancellarij M. potentiâ contra vim potentiorum, infestam paci & legibus, eò vsq; vsum

 esse,

esse, dum tranquilla regno facies redderetur. Vt qui iam Henricum & Otthonem Tuis in Maioribus numerasses, etiam Caroli V. aliquid exprimeres, magnâ terrarum parte vltrò sese abdicantis. An vt impetratâ ab honoribus missione cum Lælio & Catone Senatoriam componeres senectutem, cùmq; ingentes semper actus in theatro gloriæ sat spectatus, apud Principes dedisses, accuratiùs elaborares in Supremo, alibi Regibus, hîc DEO spectatore, non sine plausibus vtrobique! Quid ego putem tua Chirographa, & syngraphas? quàm æterna Rosæ folia, ne sic quidem inutilia, quia Dodonæo cortici præhabenda. Leguntur hodièque, & placent mirificè tuæ mentis placita, quæ ipsos mundi monitores Philosophos erudîssent. At enim, vnde hæc mihi audacia, maiore animo quàm facultate, ea carptim legendi, quæ limatissima Stanislai Lubienscij Suada, vberiore calamo, vt æternitati porrigeret, iam collegit? tunc

------ Cùm tulit aureos
Sarbieu. *Ad astra mores; atq; auaro*
Egregij monitus Pstrokoni
Inuidit Orco.

Vtinam ego hæc tam fideliter referam, quàm tu in fastos publicæ memoriæ retulisti! Sed quid attinet singularem esse in MATHIÆ laudibus, quando singulæ dici nequeunt, nec taceri omnes? præsertim vbi eò meritis processum sit, quò Oratorum studia non accedent. Quantùm suo Philippus Granuellano, tantùm Mathiæ Pstrokonio attribuit Sigismundus. Nisi quòd ille, etsi citra tormentum assentationis quadraginta circiter annos incorruptâ fide arcem obtinuerit principalis aulæ, tamen continuis deuota odijs

victima,

victima, haberet aliquos, quorum animos nec morte satiasset. At noster hîc

Laudibus inuidiaq́; maior

Securus hac parte gratiæ, momo etiam, quod in se deprehensum reprehenderet nihil reliquit. Ad Te iam, Illustrissime Domine, velut ex longâ peregrinatione redeo. Susceperam videlicet iter ad sepulchra Tuorum, nec sanè pœnitendo fructu. Virtuti namq́; litandum esse non ambitioni, tuis à Maioribus didici. Intelligerent hoc vtinam ridiculi flamines, qui per omnia superstitiosi in Atheniensium ritus & morem transierunt. Tam illis ignotum virtutis numen est, quàm exploratum fortunæ. An tu, Præsul, sanctissimis innutrite cærimonijs, profana sortis fana adires? eius accederes & accenderes tripodem, quæ cùm nusquam stabilem figat pedem, vt sedibus ita nec certis religionibus continetur? Aram vbiq́; suam vel inuenit, vel molitur; translatitia circumfert sacra, extemporanea supplicantium vota audit, ne congenitæ mobilitatis non retinens appareat, si vt numen stabile colatur. Nec video cur placanda tibi sit erratica hæc dea, à quâ tantundem periculi placatâ ac iratâ exspectandum. præsertim quòd eam tu nec lacessiueris aspernando, nec euocaueris ambiendo. Benè quippè & sapienter tuos inter proauos ADALBERTVS prouidit; dum, ne quid fatis deberes, DEVM tibi constituit debitorem: apud quem sua locauit promerita, censu ad nepotem quotannis redituro. Quanquam & tu cupidus Honesti fœnerator, in lucra animi intentior quàm Honoris, eo ad Rempublicam consilio Senator accessisti, quò à magnis Tuorum nominibus non recederes. Quod si diuinitùs omnem

destinari necesse est potestatem, dubitare haud potes, Te in Pontificiæ dignitatis accessu, primo quasi reditu auctum esse, maiora superis & meritis pollicentibus. Interim ne tardioris cæli fidem desideres, delatam ad te sacræ familiæ tutelam vel exoratus admitte. Antiquo illi dierum DEO antiquius nihil visum, quàm vt Te antiquissimo omnium Ordini præficeret, qui clientibus dux & pater anteires. Et pertinebat hoc ad cumulum Religiosæ felicitatis, vt Religiosi nonnisi Religiosissimum sortirentur. Minùs iam sentiunt suam solitudinem, postquam Tu eam frequentissimo virtutum comitatu celebriorem reddidisti. Nullam reputant orbitatem Te Præside, Te Parente, qui in officia & auspicia BENEDICTI successeris. Maluit Buzenia Pstrokoniorum ROSA, sacras BENEDICTI aras ornare, quàm Fortunæ; cuius appensa latè donaria curiosiùs lustranti mihi permirum accidit, quòd inter votiui thuris & florum suaueolentes cumulos, nusquam conspexerim Rosam albam! Adeò nec floridi Stemmatis gratiâ superbam heram dignatus es! Quid enim pudici candoris Hieroglyphico cum insolentiâ impudenti? Flectat cultui suo lauros bellicas, decerpat pacis oleas, postes hederis, altaria verbenis prætexat; etiam detracto Regibus diademate se coronet; modò Rosas PSTROKONII non attingat. Maioribus illæ numinibus seruantur in Coronam. Numen ei quoddam MARIA est, cui ornandæ ita se impenderat, vt quanta quanta esset in sertum cederet Marianum. Iamq; illa floridæ fæcunditatis Parens-Virgo præ Buzenia plantatione Rosas non desiderat Ierichuntinas. Plena PSTROKONIORVM

Rosa

Roſa quidni eſſet in amoribus plenitudini Gratiarum? Nulla Diuinæ Parenti Roſaria dedêre plus Roſarum. Vnus inſtar omnium ADALBERTVS, vt fabulam Adonidis refutaret, in ſuâ Roſâ MARIÆ amores colorauit: pro illa cupidinum ſæua Matre ſortitus dilectionis pulchræ Matrem, cuius vim inſtillauit Sarmatico Marti, ne pugnaturus more Lacedæmonico, Amori alieno ſacra faceret; aut quod Tullo euenisse conſtat, fractâ acie, templa Pallori ne voueret. Nam de MATHIA PSTROKONIO publica loquuntur monumenta, eum inter Angelicæ Salutationis elogia, (quò viuacior ſpiraret caritas) exſpiraſſe. Si tamen exſpiraſſe dicendus eſt, cuius tu cadentem calentemque ſpiritum excepiſti. Vtere hereditariâ hâc vel Tuâ vel Tuorum pietate, Illuſtriſſime Domine; vt quorum facta felici contentione imitêre, imitandus & ipſe, eorum nominibus tuum addas. Quo autem bono accidit, vt in PSTROKONIÆ amænitatis viridario ingrediar Labyrinthum? Nam & ſæpè in gradum Orationis memet refero, & iam exploratam acceſſu receſſuq; oculorum, iterum Roſæ nobilis exploro venuſtatem! A baſilico naturæ oſtento quis facilè ſe auelli ſinat? Auellor tamen; mihiq; vltro his Charitum delicijs interdico; non quòd finitimam verear ſatietatem ſuauitati; ſed ne amænioribus ingenijs floridum argumentum præripiam. Succedat libera Pöëſis, & libatam hactenus parcè Roſam, liberaliùs reguſtet in Elogio hoſpitali.

ELOGIVM I.

Origo Stemmatis, eiusq́; Auctores.

ROSAM PSTROKONIORVM
A stirpe si inspexeris, Romana est. Auctor huius Stem. Rosinus patriâ Rom.
Romæ nasci prima illi gloria, sed non sola.
Patriam Italiæ, coloniam Bohemiæ, Poloniæ regnum debet.

Florum Domina
Communem cum terrarum dominis tenuit dominatum.
Sed exactis Româ Regibus, locus Reginæ qui esset?
Nomen Regium nec in flore ferri potuit.
Igitur cum Rosino Thuscis finibus vltrò cessit:
Ne Caligulam aut Neronem coronare cogeretur;
Detestata magis, quàm verita falcem Tarquinij
Perinde papauerum colla ac Ciuium demetentis.

Peregrinantem ex Latio
Bohemus accepit hospitem, vt eijceret;
Rosembergius adsciuit vt affinem,
Porauius vt gentilitiam coluit,
Lechus vt indigenam adoptauit, Vide Bielsciũ.
Honorariam reddidit Boleslaus Chabri,
Gratulatus regno Rosas & delectare natas pariter & prodesse.
Accessit ad Coronam de suo coronata,
Quò suam nulli deberet electionem ad honores.

Spinis vacua est, quia & curis
Quarum omnes ad rem publicam transtulit à priuatâ.
Admirabilis! quòd in agro sanguinis educata sanguinem non gustâsset.
Idcircò horrentibus aculeis non armata,
Quia optimum est munimentum munimento non egere. Plin. Traian.

Ita liuor prosperis inimicus
Præter vepres & tribulos in Rosâ ROSINI nil arrosit.
Hoc vno fortasse infelix Rosembergius
Quòd spectârit Rosæ excidium in Fratribus ADALBERTI.

Se

Sed fatale est PORAVIORVM Rosæ,
Etsi sanguine perpluat, candorem ne amittat;
Quem ideò colori purpureo prælegit,
Vt tantùm distaret à fuco quantùm abesset à pigmentis.
Genas candidam si videas, mirum non est:
Cur hactenus erubesceret nil inuenit;
Nec illi patria, nec illa patriæ probro fuit.
Solis duntaxat hostibus malè olet
Immò ne his quidem, propter Rosarum priuilegium.
Nihil olere vt benè oleas Cic. ad Att. L. 2. 16.
Hominum laus est, non Rosarum:
Quæ sine odore sunt, in Coronam non adduntur. Plin.
Et hæc pleni floris plena forma
In contentionem gloriæ prouocat Salomonem.
Sed nimiùm emunctæ naris Hæresi non placet,
Eò quòd Christiana inuolantes in Rosaria
Ad Augiæ stabulum expulerit scarabeos.

ELOGIVM II.

Alluditur ad familiæ antiquitatem & antiquissimæ Abbatiæ Tynecensis administrationem.

In Gratiam Illustrissimi CHEŁMENSIS EPISCOPI.

SI vuæ de spinis non leguntur, at leguntur Rosæ:
Eia, Commilitones BENEDICTI,
Rosam sine spinis paternas quærite inter spinas.
Fecundus virtutis cruor est. Rosam elicit, sed candentem.
Longa ætas illi hos induxit canos,
Vt simul induceret reuerentiam. Et Ordo S. Bened. & familia Rosin. per antiqua.
Debuit multis antè seculis canuisse,
Ne antiquisimo Viridario nouitia accederet Administra
Cùm fuisset Cöæua.
Adeò BVZENIORVM ROSA
Ætates viuit integras non Æstates.

In Romani Cæli & Soli Herede
Romanæ ſenium fidei quid requiras?
Quippè in tota generis antiquitate
Nihil ei antiquiùs canâ fide.
Vaticanas genita inter lauros mori neſcit.
A tot annis immiſsâ manu vellitur non euellitur;
Quia totum ei robur in plantâ eſt. Roma Græcis robur ſonat.
Breue Roſarum ver quis iam dicat?
Florem gratiæ diſtinguunt decade ſæculorum.
Hoc nimirum eſt ſuæ poſteritati intereſſe.
Quanquam
Quis flores ab antiquitate commendârit?
Tota illis nobilitas penes gloriam nouitatis.
Venuſtatem præhabent vetuſtati.
Et quia ſemel omnes elegantiæ arculas conſumpsêre
Sui amorem non conciliant, aut impetrant; ſed extorquent.
Suis id quiſque negabit oculis quod Roſæ non attribuet.
Violentum nempè eſt imperium Pulchritudinis.
Armata vel inermi Roſæ ineſt Eloquentia
Suadere ſolita ab vtili & iucundo.
Vnicum hoc illi artificium, ſe ſuaque ne celet,
Non plus in flore pollicita quàm in fructu.
Felicior Caroli V. lilio, non antè euoluto
Quàm Dominus integumento ſeſe corporis euoluiſſet.
Odi flores, qui diu calyce aut folliculo ſpem concludunt
Quantò ſeriùs tantò ingratiùs erupturam.
Auferri, & differri beneficium, propè abſunt.
Fruticem hunc (etſi creuerit in aprico)
Tenerum aut fragilem, caue, dixeris.
Dureſcit in clauam Herculis, in ſacros curuatur Scipiones.
Roſæ Melitenſi virtute ne cederet
Ceſſit Bellonæ in ſertum, & Marti in corollam.
Delicatum Roſis ingenium qui putem?
Ferunt ſolem & hyemes, ſed Capuæ non hybernant.
Peſtilens illic aura laurum afflauit triumphalem.
Mallet Annibal cæpas Aſcalonias quàm Roſam offeciſſe Campanam;
Serò

Serò ſentiens: militi allium, [d] fabas iudicibus conuenire; Has vigilantiæ irritamentum, illud virtutis commeatum. d. ne obdormiſcerent. Suid.
Non ſola Gallorum Lilia bellis apta,
Et Roſinorum Roſæ texendis ciuicis haud inutiles:
Quæ non ita rarò mortem viderant vt Martem exhorreſcerent.

ELOGIVM III.

Gentis Roſeæ inſulatis luminibus,

S. ADALBERTO

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI M.

E T

VINCENTIO KADŁVBKONI,

Qui abdicato Epiſcopatu Cracouienſi, Andreouiæ in Monaſterio Ciſtercień. ſeſe abdidit.

DIVVS ADALBERTVS ARCHIEPISCOPVS M.
Purpurati exercitûs Candidatus Roſam Candidam
Eodem quo ſtolam ſanguine dealbauit.
In Pruſſia Tyrum inuenit purpurariam,
Quæ candentis Roſæ byſſo induceret purpuriſſum;
Sed inaſſueta fuco Roſa
Poſt tincturam virtutis alium colorem ægrè bibit. Strada.
Præmiſit cælo quinque germana germina ſuæ Roſæ,
Ne ſola inter Lilia paſceretur Agnus.
O te alterum, PORAVI, Æneam
Qui de Bohemico incendio patriam extuleris Roſinorum,
Caſuram, niſi in te recumberet inclinata!
Nihil at enim profecit Bohemorum ſæuitia:
Exuſta [f] Roſarum domus, à flammis illuſtrior, ſe intendit. f. Lubiez, patria Roſeorũ exuſta à Bohemis.
E ruderibus & fauillâ ſurgit generoſiùs poſt ruinam.
Et hîc Roſarum Rubus arſit incombuſtus,
Vt ſacrum Matri-Virgini intelligeres.
Lilium inter ſpinas Roſam diligit ſine ſpinis
Beneficio Roſæ Myſticæ, domeſticam ſeruauit Adalbertus.

Optimè meritus de castris Polonorum
Quorum bellicam aciem sepsit castrorum acie ordinatâ: *Peana militibus composuit.*
Martis classico iunxit Canticum Magnæ Matris,
Vt hostis caderet ad numeros MARIANOS, *Mos Lacædemoniorum.*
Ac ne laurus quidem absq; Deipara pareretur.

At enim inhospitalis Borussia
Rosam crudeles fugientem terras
Pro lance excepit lanceis, *Sen. Omnis in ferro salus Herc. furen.*
Vt salutarem traheret vim à ferro.
Defossum tot sarculis Rosæ surculum credite, non confossum.
Ne licentiùs manu barbarâ carperetur
Septo sese ferreo communiuit.
Neque temerè totidem telis Martyr figitur
Quot gladijs transfixa est Martyrum primipila.
Quin & inermis VINCENTII KADŁVBKONIS Rosa
Contra fortunam historico se armauit stylo.
Nixum fide & calamo liuor & obliuio non euertet.
Pontificiâ in seipsum potestate vsus
A consortio & communione sæculi se remouit:
Quòd meminisset spretam à se Honorum maiestatem,
Latâ sententiâ monasticum se damnauit ad exilium.
Reus Vnicæ in Deum & homines Caritatis
In perpetuum sibi templo Honoris interdixit.
Mirata est Craci cathedra Abdicantem Rosam!
Daturam sui Mysteria in Monasterio:
Vbi quò suauiùs fragraret, inhæsit BONÆ-NARDO. *S. Bernardi studiosissim⁹.*
Rara gradatio ab infulis ad Cucullum!

ELO-

ELOGIVM IV.

ALBERTO MĘCZYNSKI
GENTE ROSEO,
E SOC: IESV.

FRagrantiſſimum Naturæ delicium Roſa, Nangazachi in Iaponia violẽto aquarũ ſupplicio diſcruciatus.
Omnibus exercita Elementis, vt per omnia proficeret ad Coronam.
Igne in Bohemiâ, tellure in Daciâ; aquis, âëre, ferro, Nangazachi.

Quid baccharis lymphata Iaponum temulentia?
Virtutem aquæ hauſtibus non efficies temulentam.

Vota ingeris MENCINIO non ſupplicia:
AlimentaRoſæ admoues in tormentis,
Alitur dum alluitur ſtirps Roſarum.

Fruſtra obruendæ charitati adhibita vis aquarum,
Dudum & ille hoc baptiſmo habuit baptiſari:
Hinc fatum commune dedignans quæſijt exquiſitum:

Per tot inſulas venalem cælo animam circumtulit,
Mortis inſtitor pretioſæ,

Quam carò admodùm licitatus eſt in Iaponia,
Vbi nec gelidam gratis biberit, Thren. 5. Aquã noſtram &c.
Quia purpureæ animæ pretio comparatam.

Et noſter libatis mortibus profecit Mitridates.

Non ſolùm tonitrui, ſed & Aquilæ filij bibunt calicem ærumnarum. Poteſtis bibere calicem &c.
Emerſit Iaponici maris mergus in Floridam Bonæ ſpei,
Docuitq;: per frigidam ad vitæ refrigeria enatandum.

Atrox vndarum diluuium vſque ad animam exundantium!
Sed ramus oliuæ, niſi exhauſto diluuio, non affertur.

En Iaponiæ humanitatem inhumanam!

Inter Sacra Amoris febricitanti MENCINIO
Lymphas præbuit, vt vitam exſtingueret.

Nouo aquarum tormento, nouum exercuit Tantalum,
Vnde ardoris impatientiâ aquam ſitiret inter aquas.

Omnis illi ſpirandi copia adempta eſt,
Quò collectum in ſe ex diuturno ſpiritum
Ponderatori ſpirituum redhibeat plenâ fide.

Tot dierum ſpatio torquetur, lauream ex arduo pariturus.
Vitam inter & mortem poſitus carpitur ab vtráq;.

Lenta crudelitas fit violentior violentâ.
Moritur quotidie, vt ſupplicijs reuiuiſcat.

Non facilè exhalant Roſæ animam:
Immortalis earum prærogatiua eſt,
Vt quantumlibet exſpirauerint, tamen ſpirent.

Credo quòd per ignem & aquam tranſiens vir dolorum
Vtroq; roſas (vt durarent) acuerit Elemento.

Sic nauigaturo ad Superos ALBERTO MENCINIO g. ex ead. linea Roſeorum.
ADALBERTVS remum Pruſsicum, Iaponia flumen dedit.

ELOGIVM V.

MATHIÆ PSTROKONSKI,

Olim Vladislauieñ. Epiſcopo, Regni Cancellario, Patruo Illuſtriſſimi Chełmenſis.

MATHIAS PSTROKONSKI
Fatale nomen ſortibus & Fortunæ.
Duplici impetitus fato, trophæum ſtatuit de vtroque.

Feſtinatâ ancillarum temeritate exanimatus,
Prouidentiâ ANCILLÆ DOMINI animatur: Ope Deip. reuiuiſcit.

Simul vitæ ſimul mortis filius.

Matrem viuentium expertus in MARIA eſt:
Exinde bis genitus geminis Matribus lucem debet.

Felicioris infantiæ argumentum eſt,
MARIÆ gratiam occupâſſe in cunis.

Fruſtra, iniectis præfocatur faſcijs, olim faſcibus prærogatus.

Ligandi Paſtor & obligandi munere perfuncturus
Maturè faſcem ad ſe pertrahit linteorum.

Ita Roſeus ille Infans
Dehiſcente primùm ſuâ Roſâ, ipſe hiſcere iam deſierat!
Præcox Proſerpina Roſam damnauerat ad Cupreſſum.

Sed faſciatus Roſinorum Hercules
Immiſſum lethi faſcinum vagitu excantauit,
Fata antequam noſſe poterat, vinctus vicit:
Terribilium terribiliſsimum terruit vixdum natus,
Ne qua immunis miraculi ætas foret.

Quin & altera quadriennem ſors cecidit in MATHIAM:

Cyro æqualibus colludenti mors ſeria interuenit;
Quam dilapſis meta ſocijs ludo eluſit inſolenti.

Puerorum imprudentiâ in aquas protruditur:

Vt fatum aquis iugulantibus iugularet:
E Vartæ littore flos euerſus Roſam verterat in Narciſſum,
Non ſuo deceptum errore, ſed alienâ decerptum inſolentiâ,
Flagellatus tamen fluctibus, culpam ætatis vndâ diluit. In flumen prolabitur.

Parcæ parcere neſcientes innocentiæ pepercerunt.

Fas non erat veris initio Roſam præcerpi immaturam.

Præſagum futuri diceres Vartæ fluuium,
Qui erupturam in lumen Curiæ ſcintillam non extinxerit,
Gratiarum depoſitum in Vaſe vitreo aſſeruârit.

In ipſo gurgitis profundo ſtans conſpicitur,
Vt quot cubitis aquæ verticem ſuperarent
Tot ſuam ad ſtaturam adijceret.

En iactæ in Mathiam ſortes manu Dominæ temperantur!
Præter ſpem emerſit Spes ab alto, mox altiùs euaſura.

Senſit Maris Dominam Maris filius. Fluuij dicuntur maris filij.

Repetundarum arceſſendus, niſi Roſam auream reddidiſſet.

Abſtinentior Antonio gemmam Poloniæ non abſorpſit.

Fons ſignatus bullam pueritiæ conſignauit in fonte. Bulla inſigne puerorum.

Cancellaria VERBI Virgo venturo ſubſcripſit Cancellario,
Qui ob virtutum admiranda factus Principum Thaumaturgus

Edidit ignotum aulis prodigium in Senatu:

Cùm possèt Regni annulum tractare, detrectauit!
Maioris Sigilli honore cùm se vltrò exuisset
Obsignatam Reipublicæ fidem nunquam exuit. Abdicat se Cācellarij munere.

Tandem sat spectatus sat probatus
Vitæ actor laudatissimæ, Panegyrico immoritur Mariano. In salutatione Angelica moritur.

Nemini Roseorum iucundior obuenit Mors
Quàm huic in Rosario Deiparæ exspiranti.

ELOGIVM VI.

ILLVSTRISS: & REVERENDISS: DÑO.

D. STANISLAO

De Buzeńin

PSTROKONSKI,

EPISCOPO CHELMENSI,

Administratori Abbat. Tynęceń.

STANISLAVS PSTROKONSKI
Et nomine & potestate geminus Tutelari,
Iste Petrum, ille Patruum reuocauit ad vitam.

Prænobilis magia est
Maiores moribus euocare de busto.

Manes & imagines Auorum animare in laudem
STANISLAI EST
LAVDEM voto & titulo profitentis:
Nisi quòd ROSEORVM nemo sic obdormijt
Vt nequeat à Posthumis excitari.

Rosæ sapori idoneæ non sopori.

In [c] Lethes obliuia non liquantur. c. Fons Obliuionis.

Nulla earum à morte ita extabuit
Vt præmortua exsoleuerit in Senatu.

Abdicauit

Abdicauit se insignibus MATHIAS PSTROKONSKI,
Vt iam tum addiceret STANISLAVM:
Cessit sacro subsellio Patruus Nepoti successuro.
Euoluta est Honori publico LATENS ROSA,
Vt se ad statum staturamq; ADALBERTI reduceret.
An vt Roseus hic foliorum fasciculus
FASCI IAGELLONIO proprius adhæresceret!
An vt collectum in se ex diuturno nitorem
Regalis Ostri purpurâ, dum tingeret, temperaret?
Plantarum prima Princeps
Vsquam dignius quàm in Regiâ cerneretur?
Rosa florum Antistita
Iterum in STANISLAO PSTROKONIO consecratur.
Cœlitùs effuso IESV NOMINE perfusa semel
Oleum & propitiationem seruat semper: Oleum effusum &c.
Nata æquè vngendis CHRISTO Athletis, Pierius.
ac Hæresi expungendæ.
Adeò Honori est pariter & horrori!
Quòd si & condendo ex se vino Rosæ vtiles, Plin.
Erit quò Ierichuntinus curetur infirmus
Vt vt Rosæ defuerint Ierichuntis.
BVZENII satûs Rosa
Nullis in se acuminibus locum fecit,
Ne congenitam sibi gratiam sauciaret.
Grande testimonium INNOCENTIS Plantæ:
Degere inter sontes, & sentibus non armari!
Talis Rosa decuit VIRIDARIVM BENEDICTI
Quam diuinum non asperaret maledictum.

SALVTATIO
EIDEM REVERENDISSIMO
Dicta, Dicataque.

QVod Tuæ adſpirant & inſpirant Roſæ, nos eloquimur, Illuſtriſsime Antiſtes; ſapiat, cui lubet, è Sibyllæ folijs, nos de Roſa perhumaniter inclinatâ colligimus: Te ipſo Humanitatis deſcenſu hodie ſupra homines aſcendiſſe. Vnum tu quidem Te ex nobis, & hoc magis cum Traiano emines & excellis, quia vnum putas; at eximia hæc moderatio ſummè te eximit Collegio Minorum: commune id habentem cum Deo, vt ne oculos magnæ luci inaſſuetos conuulneres, vibrantem Roſæ radium vel diſsimules, vel reſtinguas. Auguſtus ille cæteroqui Princeps, anguſtiorem inde reddidit maieſtatem, vnde ſuperbè credidit oculo ſuo diuinitatem inſidere. gauiſus inſolenter, vbi quiſpiam ſibi acriùs contuenti, quaſi ad fulgorem ſolis vultum ſubmitteret. Tu citra ambitum diuinior ſalutantium vota & ora ad pedes non retrudis, hoc altior hominibus quò humanior. Debueras Goſtomiana hæc vmbracula propiùs luſtrando illuſtrare, Senator Illuſtriſſime. Tuo vtiq; plantario intuliſti ſolem ROSEVM, *à nobis citra ſuperſtitionem hoſpitaliter adorandum, non menſam illi Æthiopicam prætenſuris, ſed palatinam Fundatoris Faſciam. Nam* CORONATAM *aliundè* ROSAM *fruſtra velimus coronare; aut precari ver æternum, cui excolendæ amænitas cum perennitate ſe impendit. Quidni porrò impenderet? quando in fortunæ & ſanguinis cenſu inter Maiores Tuos Maximum numeras* ADALBERTVM, *Præſul Archipræſulem, Nepos Auum. Ille te gentilitiæ concolorem* ROSÆ *Aris admouit, cùm ſciret patricijs florum Roſis menſas Cælitûm & altaria exornari. Legimus in* PSTROKONIANA *Roſa virtutis colorem, hoc eſt natiuum aperti candoris*

emblema. Reueremur in flore gratiam, quâ ſpectatior Narciſſo Reges quoq; in ſui pepulit amorem! Et verò aptiùs alibi plantarum regina quàm in Regum penetralibus moraretur? Suſpicimus denique ſemper integra, ſemper plena Roſæ folia, quia inſcripta NAZARENI *nomine: Inſcripta* ALBERTI MENCINII *ſanguine, quo communem ſuo & Tuo Stemmati induxit purpuram, in cruento Nangazachi campo. Fuerit ſanè alibi fatale, Roſas vernare in autumno, hîc felicitatis omen eſto. Saluberrima Buzeniorum* ROSA *clades & funera non portendit. Quod mundi oculus vniuerſo, hoc Sandomirianæ Atticæ Tua Roſa: cuius beneficâ vi non perinde vtemur ac cæteris floribus, tam diu gratis quàm diu recentibus. Erit hoc interim Pontificiæ poteſtatis Tuæ, vt alieno maximè tempore* ROSA PSTROKONII *floreſcente, iteratò veris tempora ordiamur; immò alteram Sandomiriæ nacti Rhodum, non iam in fundamentis roſam vt Rhodij, ſed in coronide habeamus.*

ῥόδον Græcis Roſa.

Superiorum permiſſu.